

Cäsar – De bello Gallico I.39: Die Römer stehen kurz vor dem Kampf mit den Germanen unter Ariovist

Tantus subito timor omnem exercitum occupavit ut non mediocriter omnium mentes animosque perturbaret.

Hic primum ortus est a tribunis militum, praefectis, reliquisque qui ex urbe amicitiae causa Caesarem secuti non magnum in re militari usum habebant:

Quorum alius alia causa inlata, quam sibi ad proficiscendum necessariam esse diceret, petebat ut eius voluntate discedere liceret;

Non nulli pudore adducti, ut timoris suspicionem vitarent, remanebant.

Hi neque vultum fingere neque interdum lacrimas tenere poterant:

abditum in tabernaculis aut suum fatum querebantur aut cum familiaribus suis commune periculum miserabantur.

Vulgo totis castris testamenta obsignabantur.

Horum vocibus ac timore paulatim etiam ii qui magnum in castris usum habebant, milites centurionesque quique equitatu praecerant, perturbabantur.